

**AGRÉGATION  
CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

*Afranius, lieutenant de Pompée, demande grâce pour ses soldats épuisés et malades.*

Iam domiti cessere duces, pacisque petendae  
auctor damnatis supplex Afranius armis  
semianimes in castra trahens hostilia turmas  
uictoris stetit ante pedes. Seruata precanti  
maiestas, non fracta malis, interque priorem  
fortunam casusque nouos gerit omnia uicti,  
sed ducis, et ueniam seculo pectore poscit :  
"Si me degeneri strauissent fata sub hoste,  
non derat fortis rapiendo dextera leto.  
At nunc causa mihi est oranda sola salutis,  
dignum donanda, Caesar, te credere uita.  
Non partis studiis agimur, nec sumpsimus arma  
consiliis inimica tuis. Nos denique bellum  
inuenit ciuile duces, causaeque priori,  
dum potuit, seruata fides. Nil fata moramur :  
tradimus Hesperias gentes, aperimus eoas  
securumque orbis patimur post terga relictii.  
Nec crux effusus campis tibi bella peregit  
nec ferrum lassaeque manus. Hoc hostibus unum,  
quod uincas, ignosce tuis. Nec magna petuntur :  
otia des fessis, uitam patiaris inermes  
degere quam tribuis. Campis prostrata iacere  
agmina nostra putes ; nec enim felicibus armis  
misceri damnata decet partemque triumphi  
captos ferre tui ; turba haec sua fata peregit.  
Hoc petimus, uictos ne tecum uincere cegas."  
Dixerat ; at Caesar facilis uultuque serenus

flectitur atque usus belli poenamque remittit.  
Vt primum iustae placuerunt foedera pacis,  
incustoditos decurrit miles ad amnes,  
incubit ripis permissaque flumina turbat.

LUCAIN, *Pharsale*, IV, 337-367